OBSERVATIONES
ET
COGITATA
DE
PESTE.

QVAE
ANNIS MDCCXXXVIII. & MDCCXXXIX.
IN VKRAINIA
GRASSATA EST.

AVCTORE
IOANNE FREDERICO SCHREIBER
REGIOMONTANO.
DOCTORE MEDICO ET PHYSICO MOSCVENSI.

PETROPOLI,
TYPIS ACADEMIAE SCIENTIARVM.

VIRO
PERILLVSTRI ATQVE *EXCELLENTISSIMO*
IOANNI BERNARDO
DE FISCHER,
SERENISSIMAE AC POTENTISSIMAE
RVSSORVM IMPERATRICIS
PERSONAE
MEDICO ET PER RVSSIAM ARCHIATRO
NEC NON ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM SOCIO.
S. D. P.
IOANNES FREDERICVS SCHREIBER.
REGIOMONTANVS.

QVod ſaepe ego mecum agitaui, tandem exſequor. Etenim dignitas *Tua, Vir Perilluſtris;* merita *Tua;* atque ſingularis propenſio animi *Tui* in me; effecerunt, vt diu optarim ſerio,

 exſta-

exſtaret aliquod publicum meae in *Te* pietatis pignus atque indicium! An quid vero magis decet Medicum Phyſicum, quam popularis morbi deſcriptio? Nec aptius offerri illa poteſt, quam *Tibi Archiatro*, qui, conſiliis et mandatis, vi muneris, datis, omnem impendiſti operam, vt furenti morbo ſtimulus excuteretur ocyus; qui magnam partem harum obſeruationum, quas Medici experti atque Chirurgi ad *Te* detulerunt, beneuole largitus es, atque adeo ipſarum veritatem omnium maxume confirmatam habes. Sed, ſi quo meritis *Tuis* debetur, omne proferrem, incongruo id agerem loco. Aliquid autem de illis commemorare, et quidem tractationi meae reſpondens, non abſonum duco. Praeteribo itaque, quae commoda Medico-Chirurgica militi Ruſſo ab IMPERATRICE AVGVSTISSIMA exoraueris; quam vniuerſalem feceris doctrinam Botanices in hortis Medicis, Moſcuenſi et Petroburgenſi, pro addiſcenda notitia plantarum a Chirurgis aeque, ac

a phar-

a pharmaceutis, quid molitus fueris pro anatomia, a Chirurgis perfectiſſime capiunda. Hoc vnicum tantum adducam, argumentum meum de morbo epidemio proxime feriens, quod, incolarum Imperii ſaluti proſpiciens, omnem ſtrenue moueris lapidem, immo ipſa fundamenta feliciter ieceris, pro ſuperſtruendis vallis et tutaminibus contra furentes inſultus grauiſſimorum morborum epidemiorum, ſiue ex vicinis regnis adproperantium, ſiue domi natorum. Ita enim locaſti armamentaria haec, officinas ſic nuncupo pharmaceuticas, tam ex aerario publico ſuſtentatas caſtrenſes, quam priuatas quasdam, publico ſtipendio pro faciliore opera animatas, vt in poſterum, vbi iuſſerit neceſſitas, auxilia Medica facilius ferri poſſint. Et, ne deſint, qui, pro experientia adquiſita, remedia, in ſalutem aegrotantium, diſtribuant, id a Clementiſſima PATRIAE MATRE impetrare ſciuiſti, vt in omnibus Prouinciis Chirurgi locentur experti, et publicis alantur ſumtibus. Tales autem,

 pro

pro aequitate *Tua*, his beneficiis dignos iudicaſti, qui, per plurimos annos, in exercituum morbis curandis, laudabilia praeſtiterunt officia, bellorumque incommoda tulerunt: feſſis ſic gratam quietem ſimul donari, iuſtum duxiſti, Libenter, pro adfectu meo, longius in *Tuas* laudes exſpatiarer, ſed vela vix expanſa contrahere me iubet conſueta *Tibi*, et mihi percognita, elogiorum auerſatio. Grata poſteritas, in quam maxime redundabunt, laborum *Tuorum* fructus, agnoſcet, memoriae *Tuae* multum deberi. Patere, *Vir Optume*, tantis momentis vt adiungam, *Te* mihi ſemper optume voluiſſe, numquam immitem fuiſſe; ea erga me vſum gratia, vt ſtipendium adaugeretur: atque denique quietem conceſſiſſe petenti. Idcirco, tam multiplici ac vero nomine *Tibi* obſtrictiſſimus, obſeruationes hasce de Peſte *Tibi*, *Vir Excellentiſſime*, inſcribo, vel potius reddo. Illis auſus ſum cogitata quaedam mea adnectere, quae, ſi certa non ſunt, vera tamen eſſe poſſunt. Haec ab obſeruatis cautiſſime diſtinguam. Ob-

OBSERVATIO 1.

NEc in aëre, nec in victu, vlla mutatio ſenſibilis contigit, quae morbo occaſionem praebere potuiſſet. Adtamen, menſe Iunio, febres acutae multae, variae, denique petechiales. Inerat in vrinis color, atque habitus cereuiſiae albae.

OBSERVATIO 2. *Menſe Iulio, vsque in hiemem intenſiſſimam, immo, alicubi locorum, et per eam integram, ſaeuiebat morbus popularis, quem deſcribere induxi, nunc cum ſignis externis, nunc absque illis. Erant autem illa carbunculi, et bubones, cum inquinum, tum axillarum rariores: et paucis parotides.*

Conſectarium 1. Morbus, quem deſcripturus ſum, eſt peſtilens, vel ipſa peſtis: prout omnes ſcriptores de peſte vtrumque morbum depinxerunt.

OBSERVATIO 3. *Nonnulla loca paludoſa, infectis locis propinqua, impune incolebantur. Contra; fuerunt loca, ab infectis magno interuallo remota, vt et in alto conſtituta, quae eadem vexabat aegritudo, intermediis ſaniſſimis.*

OBSERVATIO 4. *Noui pagum populoſum, in quo, rebus rite illico diſpoſitis, ſaltim duo homines illo morbo ceciderunt, media hieme.*

OBSERVATIO 5. *Retulit Chirurgus, fide dignus, ſe, in locis infectis, nullas aues obuolitantes obſeruaſſe.*

Ipſis

Ipſis autem vsque ſupernataſſe nebulam, vel ſereno coelo. Medio menſe Septembre, ipſa meridie, dum omnino ſudum eſſet, ingreſſus ſum oppidulum, per tres menſes clauſum, in quo conſpexi adoleſcentem, modo mortuum cum carbunculo; atque ſimilem notaui nebulam. Hanc ſemper adfuiſſe, et incolae, et cuſtodes teſtati ſunt.

Sequentia naturam miasmatis peſtilentis aliquo modo declarabunt.

OBSERVATIO 6. *Nonnulli aegrotare inceperunt, cum anxietatibus inexplicabilibus ad praecordia, dolore laterum, aeſtu interno: rubore vultus, ac tantis deliriis, vt furibundi fierent. Hi moriebantur, die ſecundo vel tertio. Qui poſt talia fata ſecabatur, oſtendit pulmones, paruis, liuidis, maculis obſitos.*

Conſectarium 2. Miasma Peſtilens, cum aëre in veſiculas pulmonum inſpiratum, effecit horum inflammationem, quae duobus vel tribus diebus, finiit in gangraenam et ſphacelum, ipſorum.

Conſectarium 3. Adeoque illud miasma habuit indolem, vel cauſticam, vel adſtringentem, vel coagulantem.

OBSERVATIO 7. *Chirurgus non timidus, manubrium ſcalpelli in noſocomio incaute ore tenens, quo modo bubones aperuerat, et carbunculos ſcarifarat, domum reuerſus mox nauſeauit, tandem bubonibus inguinum correptus eſt, quibus apertis et fluentibus, conualuit, ſed ſero.*

Con-

Confectarium 4. Miasma peſtilens cum aëre, vel humoribus oris, quandoque ingreditur ventriculum, tuncque hunc primum adoritur.

Confectarium 5. Materia carbonum et bubonum peſtilentium miasmate contagioſo non caret.

OBSERVATIO 8. *Mulier marito, lue peſtis infecto, in eodem lecto, per omnem morbi decurſum, impune adcubuit. Filia eius, cum carbone, die quinto morbi, obiens maniaca, matrem momordit ad pectus, vt demorſa cutis mordentis dentibus inhaereret. Vulneri mater adplicuit roob ſambuci, cotidie renouatum; eo ſucceſſu, vt vulnus, intra nouem dies, conſolidaretur, ipſa ſemper ſaniſſima. Notandum haec contigiſſe, quo tempore in vigore conſtituta fuit peſtis.*

Confectarium 6. Non eſt vero ſimile, miasma peſtilens imbibi venis abſorbentibus cutis, et, per eas, deferri in corpus humanum; quando peſtis eſt in augmento, vel vigore. Idem euincere videntur phaenomena, quae initio ac progreſſui huius morbi adſiſtunt in homine, qui tunc adfligitur. Nulla proſtat obſeruatio, morbum peſtilentem, in illo vigore peſtis, vel in vno homine incepiſſe, cum aliquo morbo externo. An abſorptionem miasmatis in venas cutaneas vetat ipſa natura miasmatis, tunc actuoſiſſimi (*Confect.* 3.)?

Confectarium. 7. Miasma peſtilens non videtur ineſſe ſaliuae hominis peſte correpti. Nullus enim fit morſus, ſine aliqua ſaliuae expreſſione, vel inſitione cuiusdam humoris oralis in vulnus. An potius hic adtendenda ſunt, quae in praecedenti Confectario adduxi?

B OBSER-

OBSERVATIO 9. *Mater, infecta peste, exstinguebatur, die sexto, cum haemorrhagia narium, sine vllo alio signo. Haec, per quatuor morbi dies, lactarat infantem saluum superstitem. Plures obseruatum, nutrices, peste adjectas, infantes lactasse, sine vllo horum detrimento.*

Consectarium 8. An miasma pestilens non inest lacti? An potius iners est, oleo lactis obuolutum?

Consectarium 9. Animaduersione dignum; in illa acrimonia tenui, qua scatere dicitur sanguis pestilens, vt in vasis propriis coerceri amplius non possit, nec bubones adparuisse, nec carbunculos.

Quo tempore pestis perfecte grassabatur, modus contagii se habuit, sequentem in modum; non tamen adtendendo adcuratae successioni symptomatum, quam in obseruatis desideraui.

OBSERVATIO 10. *Horripulatio; frigus. Tunc pulsus tardissimus, debilis. Post calor et aestus. Pulsus durus ac velox. Anxietas. Palpitatio cordis. Deliria; aliis sopor. Lassitudo omnium membrorum. Pressiones, atque ardores circa scrobiculum cordis. Nausia, quandoque vomitus biliosorum, atro-viridescentium et foeditorum. Qui vero non vomebant, illi similia deiiciebant.*

OBSERVATIO 11. *Quibus ita infectis, primo die, radix ypecacuanhae, aut et vitriolum album, exhibebatur: iis pulsus mox in febrilem transibat, et, die morbi quarto vel quinto, oriebantur bubones aut carbunculi.*

Enim-

Enimuero, qui, eo ipſo die, vomitorii auxilio non fruebantur, his, die ſecundo vel tertio, priora irritati ventriculi ſigna augebantur omnia (*Obſeru.* 10.). *Poſt emeticum, talibus aegris die tertio forte datum, hi exſtinguebantur, die quinto vel ſexto, cum conuulſionibus, et petechiis nigris in agone.*

Conſectarium 10. Miasma, peſte furente, per aerem disperſum, eſt tenuiſſimum, fracidiſſimum, alcali, quod, ventriculo forte receptum, copioſiores et nudiores ad huius ſiniſtrum orificium poſitos neruos primum adficit, et die ſecundo vel tertio, ipſum ventriculum perfecte inflammat, duodeni bile in ſubitiſſimae putredinis ſocietatem, ſimul rapta.

Conſectarium 11. Miasma peſtilens, ventriculo conceptum, vomitu cito prolecto, debilitatur eiectum, ſed totum non tollitur. Etenim, poſt vomitum artificialem, ilicet excitatum, minor metus mortis, atque ſymptomata omnia leuiora (*Obſeru.* 11. 13.). Ipſe adeo minuit virus miasmatis. Quia tamen bubones et carbunculi nihilominus enati, qui omnes miasmate contagioſo non carent (*Conſect.* 4.), ipſum miasma, per vomitum, integre non tollitur.

Conſectarium 12. Miasma peſtilens, ventriculo hauſtum in vigore peſtis, abſorbetur venis, in ventriculo patulis, harumque auxilio, immiſcetur humoribus circulantibus. Dum enim calor ventriculi, in corpore humano ſano, ad thermometrum STEPHANI HALES, eſt graduum 64, calor ad ſuperficiem cutis tantum ha-

bet 54 gradus. *Vegetable Staticks Experim.* 20. Penſilis ventriculi venae bibulae inſuper in continuo motu ſunt conſtitutae. Quare abſorbtio ſubtiliſſimi miasmatis in venas, illis de cauſſis, eſt in maiore ratione in ventriculo, quam in cute. Neque virulentia nimia miasmatis ingreſſum in ventriculi venas ita impedit, vt in venas cutis (*Conſect.* 6.). Etenim imminuta eſt in ventriculo, tam per aquam humorum oris et ventriculi, quam per ſales nitroſos, qui illis ipſis humoribus inſunt.

OBSERVATIO 12. *Peſte omnino inualida, vt perpaucos tantum corriperet, ſicque fere ſporadica dici mereretur, qui ea adſiciebantur, ſe omnino habebant, vt ſani. His derepente oriebantur bubones, aut carbunculi, aut vtrique. Aſt febris omnino nulla.*

Conſectarium 13. Adeoque miasmata peſtilentialia, gradu virulentiae, inter ſe differunt. Aliud miasma eſt magis alcalinum; aliud minus (*Conſect.* 10.). Adtamen vtrumque peſtilentiae veneno eſt tinctum.

Conſectarium 14. Pro hac diuerſitate miasmatum, ipſae peſtes inter ſe differunt. Aliae peſtis eſt magis maligna; alia minus.

Conſectarium 15. Conſtat ſimul certiſſime, in peſte non maligna, miasma huius non adeo alcalinum, introire venas cutis, atque in corpore humano morbum peſtilentem inchoare cum morbo quodam externo. Idem illud miasma, eo tempore, ſine damno deglutitur, quoniam in ventriculo corrigitur, per ea, quae dixi in *Conſect.* 12., vt intus nocere non poſſit.

OBSER-

OBSERVATIO 13. *Peste in statu constituta, quibus bubones, ante duri, aut carbunculi, die morbi quinto, in suppurationem tendebant, atque postea suppurabantur: in iis omnia leuiora fiebant; et denique conualescebant omnes, interuallo hebdomadum quinque vel sex, abscessibus recte diuque fluentibus.*

OBSERVATIO 14. Initia, incrementa et status carbunculorum salutarium docent sequentia.

Sub cuticula promicabat punctum rubrum, quod totius carbunculi centrum postea futurum. Illi circumposita liuebant, infectione in omnem ambitum sensim latescente. Tandem nigricabant, atque tumebant. Sicque toti carbunculo nascebatur figura fere elliptica, cuius circumferentia rubra, papulis interstincta.

Nonnumquam elatae pustulae cum apice albido, quas iurasses variolas, serpebant in latum, tandemque mutabantur in carbunculum verum, eumque vitae proficuum.

Quos per parotidas recte iudicatos notarunt, illis, ad loca parotidum, nascebantur veri carbunculi, vel parotides in cancros mutabantur. In cadauere adolescentis, die morbi quinto, exstincti, lustraui verum carbonem, ad locum sinistrae parotidis. Is aequabat palmam manus, magnitudine. In alio, similiter iudicato, obstructio parotidum degenerauit in vlcus cancrosum, per aurem integram et dimidiam maxillam serpens. Hoc exscisso, sanabatur aeger.

Exciderunt autem integra scrota sphacelata maribus, aliaque cineritea, ad libram pondo. Immo vero

ad hypogastrium excisus carbo, $\frac{7}{4}$ librae pendens, vt intestinorum motus peristalticus cerneretur: aegro adtamen persanato. Carbunculi plerumque insidebant loca cutanea, obducta clauiculae; spinae dorsi; rotulae; ac parti superiori et posteriori tibiae, nec non abdominalibus, supra annulum, versus lineam candidam.

Per ipsorum anatomen constitit, omnia, inter musculos atque cuticulae superficiem interiecta, fuisse mortua.

Consectarium 16. Miasma pestilens, ventriculo immissum, debilitatum vomitu, et denique illatum humoribus circulantibus, congregatur, ope naturae corporis humani in loca cutanea, vnum, vel aliqua, quae enecat, donec, suppuratione, arte promota et continuata, salubri crisi, eiiciatur, cum omni sua praua sobole. Vel ablegatur in glandulas serosas, parotidum, alarum, ac inguinum, simili modo, ibi exterminandum. In peste, bubones a veneno praeseruant interna. Sic omnes scripserunt de peste.

Consectarium 17. In loco carbunculi, est obstructio vasorum sanguineorum, quibus membrana cellulosa eius loci donata est, facta a miasmati prauis effectis in humores, vna cum ipso, eo delatis. Inde vasa minora, ad superficiem conterminam externam euntia, cum comprimuntur, tum inaniuntur. Sicque intelliguntur phaenomena: Rubor, liuedo, nigredo: Subsidentia centri, Papulae in circumferentia; tegumentorum communium mors. Et a retento perspirabili, inque vapores soluto collectoque, tumor. Qua de caussa, membrana cellulosa tota flatibus

bus repletur. Vti clare adparuit in peſſimis variolis, tempore ſuppurationis ipſarum. IOANNES FREDERICVS HERELIVS *de vſu primario pororum corporis humani.*

OBSERVATIO 15. *Qui carbunculi non fiebant carbones, lateſcendo; ii, vt et carbones bruno-rubri, lethales fuerunt die ſecundo vel tertio, cum ſignis petechialibus.*

Quibus, die quinto, bubones ad ſuppurationem non vergebant, eos adfligebant tenſiones inguinum, inſtar tenſae chordae; vnde aegri, ſic adfecti, fere claudicabant: et bubones profunde tumentes; atque eodem, vel die ſequenti, deturpabant petechiae, liuidae, atrae, lethales.

Pauciſſimis, ſuppurationis loco, bubones reſoluebantur. Poſtquam in his morbus per nouem dies decurrerat, ardores ſentiebant per totum corpus, praecipue ad lumbos vel brachia, tumque vel pes, vel brachium moueri non poterat. Tunc, poſt decurſum aliquot horarum efferebantur puſtulae, cum apice albido; quae ſi ſerpendo degenerabant in carbunculum, bonum. Sin minus; moriebantur, die nono vel tertio et decimo.

Conſectarium 18. Niſi miasma peſtilens, receptum in humores corporis humani, per huius naturam amandetur omne, et cum prauis ſuis effectis omnibus, colligatur ad loca deſcripta in *Conſect.* 16.; illud, cum cohorte ſua, diſperſum per vaſa capillaria, haec obſtruendo, dilatando vel perrumpendo, lethales vbique producit petechias.

Conſe-

Confectarium 19. Maculae liuidae pulmonum, ab immiſſo in ipſorum veſiculas miasmate peſtis, ſecundum *Obſeru.* 6., ſunt petechiae pulmonales, eodem modo effectae, per idem miasma.

Confectarium 20. Conuulſiones ac petechiae, die morbi quinto vel ſexto lethales, poſt emeticum, die tertio morbi deglutitum (*Obſeru.* 11.), partem debentur copiae miasmatis hauſti, ac, integra ſua vi, humoribus immiſti (*Confect.* 12.), partem emetico, inflammatum ventriculum (*Confect.* 11.) in gangraenoſum ocyus mutanti.

Confectarium 21. Bubones profunde tumentes ſunt glandulae inguinales imi ordinis, inter faſciae litae membranam et muſculos ſiti, infartae ſero ſanguinis coagulato, vel viſcidiori, vna cum incola miasmate peſtilenti (*Confect.* 5.). Adeoque excretio inchoata in peſte non ſufficit. Sed bubones ſaluberrime iudicantes (*Obſeru.* 13.), ſunt glandulae inguinales omnium ordinum ſimiliter adfectae.

Confectarium 22. Miasma peſtis bubonaceae tragoediam praecipue ludit in ſyſtemate vaſorum ſeroſorum. Et glandulae ſeroſae parotidum, axillarum, ſed in primis inguinum, ſunt locus conueniens iidem recipiundo ac excludendo, ita quidem, vt, vbi natura non ſufficit illi, in omnes pellendo, ſemper tamen obſtruat infimas, vsque nitendo in altius ſitas. Namque tenſiones inguinum et chorda tenſa notant, vaginam tendineam femoris inflammari a ſero ſanguinis viſcidiori, atque miasmate.

Con-

Confectarium 23. Miasma peftilens in genefi bubonis peftilentis perfecti, quo tempore peftis furit, ab intimis corporis extrorfum extricatur (*Confect.* 6.); primum infarciendo glandulas defcriptas infimas: (2) internas, quae inter duplicaturam fafciae latae: (3) externas, quae inter pinguedinem et primam eiusdem fafciae lamellam collocantur: vel omnes infarciendo, eodem quafi tempore, adtamen femper, feruato illo ordine. Quo tempore peftis inualida, bubo augetur, modo contrario, ab exterioribus introrfum (*Confect.* 15.).

Confectarium 24. Simul perfpicitur, quantum praefidium fit pofitum in magnitudine ipfius naturae, pro felici perfanatione peftis.

Confectarium 25. Miasma peftilens, humoribus corporis humani viui receptum, per huius naturam ita non mutatur, quin easdem, definito femper modo, nocendi dotes retineat, donec congregatum alicubi excernatur totum. Hoc qui negat, dicat; cur in infitione peftis, in canibus, ope bilis veficariae pefte demortuorum, productae, per experimenta DEIDIER: vt et ab exhalante fpiritu filueftri bubonum et carbunculorum apertorum (*Obfer.* 7.) non potius formentur variolae, quam bubones aut carbunculi? Immutata haec natura ineft quoque miasmati variolarum atque venereo.

Confectarium 26. Innotuerunt plura contagiofa miasmata, omnia diuerfae indolis, atque definito quodam modo damnofa. Et dantur malignitatis gradus in acutis, vti vel in ipfis peftibus (*Confect.* 14.). Adeoque eft op-

pido falſa ſententia Pathologi; introcepto forte ſtimulo, ab eodem, in corpore animali, ſaltim patrari effecta quaedam determinata, ſtimulo interim ſic mutato poſito, vt ſtimulus eſſe deſinat; quam in peſte bubonacea, atque carbunculoſa, variolis, atque lue Celtica, ſingulare ſingulis miasma, praeter definita quaedam ab ipſo in animali effecta, per huius naturam, omnino perſtare tenax caracteris gentilitii, ſit clariſſimum: inque aliis febribus, vere malignis, nil repugnet, ineſſe ipſis miasma, magis vel minus ſtimulans, his vel illis humoribus gaudens vel inimicum; per haec vel illa loca excernendum: vti peſtis bubonaceae atque luis venereae miasmata ſyſtemati ſeroſo infenſa ſunt: et ambo per inguinales glandulas ſe expelli patiuntur: atque illud praeterea ſe bili ſociat (*Conſect.* 27.), ſed lac et ſaliuam forte renuit (*Conſect.* 7. 8.).

OBSERVATIO 16. *In cadaueribus horum, quos peſtis iugulauit, veſicula fellis tumens viſa, felleque fluido, flaueſcente, repletiſſima. Flaueſcebant ſimiliter partes, eidem vicinae.*

Conſectarium 27. Miasma peſtilens, alcalinum (*Conſect.* 10.), amat fel veſicarium, cui ſal, facillime putreſcens, ineſt, ſeque eidem vnit. Idem confirmauit DEIDIER, vt qui peſte bubonacea atque carbunculoſa viuos canes adfecit, venis ipſorum iniiciundo bilem, aqua dilutam, de folliculo peſte demortuorum. Qui enim hanc *Obſeruationem* 16. habent pro aliquo, per morbum mutato, non adtendunt monitis in *Conſectario* 25.

Conſectarium 28. Videtur autem ſpiritus peſtilens, ventriculo receptus, partem ſui citiſſime transmittere in inteſti-

inteftinum duodenum, vbi haud tantum bilem mutat (*Confect.* 10.), fed etiam per ductum communem bilis, et denique cyfticum, in ipfam veficulam fellis irrepit, cuius bilem faturatiorem in fuas partes citius trahit. Inde rarefacta bilis, per veficulae tunicas transfudans, propinqua inficit. Sic intelligi poffe videntur vomitus et deiectiones biliofoum ac foetidorum in hominibus, qui miasma peftilens ventriculo ceperunt (*Obfer.* 10.).

OBSERVATIO 17. *Terror interfecit plures, ineuitabilis mortis certiffimos. Quidam, poft leuem dolorem capitis, vefte emortuali, die tertio, fponte fumta, eodem, placidiffime funt exftincti, absque vllo figno externo. Hi mente recte valuerunt vsque ad vltimum. Aliis horum vel nigricantes variolae* (epinuctides, vel nigrae phlyctaenae HIPPOCRATIS, *circa fcrobiculum cordis; vel profundiores tumores inguinum.*

Confectarium 29. Quicumque his genuinis miasmatis peftilentis filiis folum terrorem genitorem conftituunt, hi aeque falluntur, ac ii, qui folum terrorem, peftis cauffam, adlegant. Legant *confectaria* 25. et 26.

Obferuationes fequentes oftendunt, quaenam corpora pefti capiundae magis vel minus apta fuerint.

OBSERVATIO 18. *Et fenes multos peftis peremit, fed, fine bubonum aut carbunculorum adparitionibus.* Vide *Confect.* 24. *Aft infantes, octo antis iuniores, vix tetigit. Omnium maxume funt paffae mulieres, atque viris maturae virgines.*

OBSERVATIO 19. *Vino cremato ad ebrietatem cotidie repletis hic morbus neque pepercit. Illis dies morbi tertius fuit ſupremus, cum motibus conuulſiuis.*

OBSERVATIO 20. *Quae mulieres per tres menſes vterum geſſerunt, et abortus, et mortis, fuerunt ſecurae, licet peſte corriperentur. Verum, a quinto vsque ad ſeptimum menſem grauidis omnia contra adciderunt: et abortum ſunt paſſae, et mortuae ipſae.*

OBSERVATIO 21. *Rectiſſime valuerunt in peſte, quibus antiqua vlcera fuerunt.* Idem olim adnotauit FABRICIVS HILDANVS; et in peſte Delphenſi PETRVS FORESTVS.

OBSERVATIO 22. *Ne vnicum phthiſicum lues peſtis inuaſit.*

Conſectarium 30. Vix eſt dubium, vtilitatem phthiſicis adtuliſſe pulmonum vlcera: vti habet *Obſeruatio* 21.

OBSERVATIO 23. *Si qui dyſenterici peſte corripiebantur, hi moriebantur omnes, cum petechiis in agone.*

Conſectarium 31. Annon miasma peſtis, alcalinum (*Conſect.* 10.), ſe coniunxit cum alio ſtimulo, dyſenterico, pariter putri?

OBSERVATIO 24. *Febre quartana decumbentes neque immunes perſtiterunt a peſte. His orti bubones inchoati, quales explicuit Conſectarium 21. Sed euanuerunt, reſurgente paroxysmo, nec rediuerunt. Ipſa*

autem

autem febris, inter haec, decurſum proprium continuauit per omne depopulantis peſtis tempus, donec, hac ceſſante, et ipſa profligaretur per corticem Peruuianum.

Confectarium 32. An paroxysmus febris quartanae, a peſte immenſum diuerſae, tollit, reſoluit, bubonem, peſtilentem, huiusque materiem, et cauſſam, miasma peſtilens, cum ſudore paroxyſtico, e corpore humano eiicit? Vtile eſt propter ſequentia, hic adnectere obſeruationem HELIDAEI, Medici Bononienſis, qui *in cadauere a febre quartana defuncti, reperit fruſta magna, alba, longa, pituitoſa, in corde, venis, et quaſi omnibus membris.* Apud IOANNEM SCHENCKIVM *Obſeruat. Medicarum variorum* Lib. VI.

OBSERVATIO 25. *Ante, quam peſtis ingrueret, quatuor milites, propter luem veneream, ſaliuationi tradebantur. Aduenit peſtis. Duo illorum, per duas hebdomadas, perfecte ſaliuantes, tertia, peſte correpti, ſunt mortui die tertio noui morbi: alter cum bubonibus inguinum; alter cum variolis, paruis, elatis. Reliqui duo ſaliuantes intacti perſtiterunt. His nimis debilitatis ſaliuatio fuit inhibita per ea, quae ſudorem exprimunt.*

Confectarium 33. Hydrargyrum ea copia datum, vt ſaliuationem cieat, ſanguinem in putridam lympham ſoluit, et per ſaliuae fontes eiicit. Itaque in homine perfecte ſaliuante, eſt magna diſpoſitio ad miasma peſtis capiundum (*Confect.* 10.).

Confectarium 34. Miasma peſtis non eſt cum ſaliua exterminabile. Adeoque et glandulae ſaliuales non ſunt locus conueniens euacuationi criticae materiae peſtilentis. Confer cum *Confectario* 7.

OBSERVATIO 26. De iis, quae corpora humana contra peſtem munire dicuntur, notata ſunt ſequentia:

Adpenſis cum hydrargyro factis amuletis vix vlla virtus Medica. Aſt valde vtilia laudarunt parata ex gummatis foetidis, admixta camphora.

Ab axungia rotarum, quod robob corticis vel radicis betulae, nauſea et vomitus. In domo, vbi ea copioſiſſime vendebatur, exſtincti ſunt 24. homines, id eſt, qui eam inhabitabant omnes.

Propter exſpuitionem ſaliuae, ſalutarem praedicarunt fumigationem tabaci: vt et maſticationem radicum alexipharmacarum.

Quid venae ſectio, morbum praeueniendi ergo, inſtituta, re vera effecerit, manet in ancipiti. Aliis illam laudantibus, aliis damnantibus.

Aſt ſeparatio infectorum a ſanis, vbique optumus ſalutis cuſtos (Obſeru. 4.).

OBSERVATIO 27. *Medicamentorum alexipharmacorum vulgarium facultas, peſtem tollens, dubia, vt ſemper.*

Alii venae ſectionem, pro cura peſtis, numquam non nocuam clamarunt. Alii eam laudarunt vel repetitam: ſi maculae rubrae adfuerint: vel et, ſi bubones aut carbunculi nondum adparuerint.

Qui

Qui pestiferi purgabantur, iis mox intestinorum laeuitas. Hanc sanarunt clysteres emollientes, cum terebinthina et vitellis ouorum.

OBSERVATIO 28. Haec pro cura morbi. *Principio morbi nauseantibus vel vomentibus nihil aptius exhibitum radice ypecacuanhae vel vitriolo albo* (*Obseruatio* 11.). *Ast tartarus emeticus validos spasmos effecit. Si inde vomitus nondum cessaret, sistebatur, adplicato emplastro de theriaca, atque dosi theriacae interne data.*

Adolescentem morbum dicunt mitigasse per roob sambuci cum lapidibus cancrorum; mixturam simplicem camphoratam; liquorem cornu cerui volatilem; theriacam cum aceto; acetum Bezoardicum; nitrum cum camphorae gr. 4. *remixtum. Aliis et terrea placuerunt. Potus diluentes, calidi, aciduli, valde profuerunt. Victus acutorum. Vel et iura carnium cum acetosa; vbi bubones iam prodierant. Post talia, vel similia, facta excretio critica per bubones, vel carbunculos.*

OBSERVATIO 29. *Qui Chirurgi bubonibus resoluendis operam nauarunt, male consuluerunt rebus aegrorum* (*Obseru.* 15.).

Emplastra vesicantia nascentibus bubonibus adplicata saluberrime. Hoc pacto, emollitio ipsorum facilis reddita, per cataplasmata.

Idem in peste Delphensi feliciter factum semel memorat P. FORESTVS. *In quibusdam locis cum*

fructu

fructu vsi sunt emplastro magnetico arsenicali. Alii reliquis omnibus praetulerunt vulgare illud ex farina tritici, melle et croco: vt et assatis cepis.

Bubo maior, durus, per medium fuit discissus, vnguento digestiuo cum mercurio praecipitato, in suppurationem postea cogendus.

Tumor axillaris, emolliri renuens, lamellatim separatus est, cystici in morem.

Semper profuit, scarifasse viua, carbunculis vicina. Alii ipsis circumcirca limites posuerunt per lapidem infernalem. Tum facilis suppuratio, ope vnguenti digestiui, atque cataplasmatis emollientis.

Plura mihi de hoc morbo non innotuerunt, *Vir Perillustris*, nisi hoc vnicum, quod, quae est Diuina erga nos mortales Bonitas, ille plane exspirauerit. Ego vero diu mecum volvi animo, annon ex obseruationibus, quas candidissime recensui, et ex iis, quae inde concludenda visa sunt, aliquid certioris, pro felici persanatione morbi, tam atrocis, tradi posset? Etenim in quem vsum tandem omnes illae obseruationes de Peste, ab aetate

aetate Hippocratis, vsque ad haec tempora quoad minima curatiſſimae? Equidem facile praeuideo, Practicos Medicos multos, qui non, niſi ab experientiis ſapere cupiunt, parum aeſtimaturos talem meam operam. Ego vero ingenue confiteor, me ignorare verum theoriae Medicae vſum, niſi apta fuerit, ad perducendum in ea, quae per experientiam haberi non poſſunt. Et re vera falluntur. Vt enim de lue venerea exemplar ſumam. Fac, aliquem callere illius morbi indolem, atque ingenium hydrargyri; prout vtrumque explicuit Ioannes Aſtruc: quis neget, his datis, in ſe poſſibile eſſe, vt curatio illius aegritudinis certa proponatur per hoc ipſum corpus, licet illam numquam prius ab experientia commendaſſet Iacobus Berengarius? Mihi itaque indubium eſt, illum Medicum ideo non deſipere, qui in naturam peſtis, auxilio rite factarum obſeruationum, aliquanto

ſollicitius inquiſiuerit, ac perſpecta facultate alicuius medicamenti, aliquid certioris, ad domandum morbum, per ratiocinia elicere adlaborauerit. Qui cum ratione, quae experientiae numquam contraria eſſe poteſt, aliquid contra morbos deſperatos molitur Medicus, is nihil delinquit. Et per cogitata mea, ſi ipſe errauero, rarus error futurus, dum, pro benignitate diuina, rarus ipſe morbus, inque peſte hactenus fere ſponte emerſit, qui emerſit, *Tu*, *Vir Perilluſtris*, in annoſa *Tua* Praxi, rationis atque experientiae connubium ſemper amaſti et es ſequutus, indeque magnam fiduciam adcepi, *Te* ſequentia, quae circumſpectiſſime enuntiabo, non eſſe protinus reiecturum, niſi facto prius examine.

PA-

PATHOLOGIA
ET
THERAPIA
PESTIS.

PROPOSITIO I.

BVbo peſtilens a bubone venereo differt ſolo miasmate: ibi peſtilentiae, hic luis venereae veneno tincto: ibi magis (*Obſeru.* 7.), hic minus actuoſo. Vtrique in his conuenit: quod quisque ſit tumor durus glandularum feroſarum, adeoque certo certius naſcatur a fero ſanguinis, in cellulis ipſarum viscidiori, immo plane coagulato, per miasma proprium: qui tumor ſe emolliri, tandemque aperiri, patitur, quo miasma vtrumque, et praua vtriusque effecta, vel integre, vel ex parte, ſemper tamen cum ſalute corporis adfecti, eliminari poſſint. Vterque bubo originem habet duplicem: nempe ab interioribus extrorſum, vbi tota humorum maſſa vtrobique infecta fuerit: et ab exterioribus introrſum, vbi, in leuiori malo, morbus externus initium fecit (*Obſ.* 12.).

EXPERIENTIA 1. NICOLAVS MASSA ſcribit in Epiſtola ad IOANNEM BABTISTVM PANTINVM; *ſe plures homines mortuos ſecuiſſe, qui, viuentes, morbo Gallico laborabant, in quibus venae, per vniuerſum corpus, plenae erant materia pituioſa, alba. Quae*

 pitui-

pituita in quantitate longe ſuperabat ſanguinem, et loca doloroſa etiam madebant eadem materia pituitoſa, immo in aliquibus omnes lacerti madebant iſta iam dicta materia. Iurares, HELIDAEVM haec loquutum eſſe de cadauere quartanarii. Lege *Conſecta-rium* 32.

Corollarium 1. Adeo obtinet aliqua luis venereae ſpecies, in qua ſerum ſanguinis eſt enſpiſſatum, ſeu coagulatum.

PROPOSITIO II.

Haec deſcripta luis venereae ſpecies et frequentiſſima eſt, et a peſte bubonacea differt (1) miasmate: (2) via infectionis: dum illius miasma ex ſyſtemate ſeroſo defertur in ſanguineum, ſed poſterioris, ex hoc in illud. Vtrique lui conuenit in his, quod ſingulare cuiuis miasma ſerum ſanguinis vtrobique coagulet, eadem amet loca, vaſa ſeroſa, et glandulas ſeroſas.

PROPOSITIO III.

Annon peſtis bubonacea eſt velox ſyphilis? et annon ſyphilis eſt tarda peſtis bubonacea? Nil repugnat, quum ipſae peſtes veri nominis, gradu velocitates, inter ſe differant (*Conſect.* 14.).

Corollarium 2. Hinc forte deduci poteſt veritas axiomatis, quod frequenter in ore habuit IEKEL, peſtem qui Pragae bis ſuperauit: *Neminem peſte adfici, qui morbo venereo laborauit.* IOANNES IACOBVS GEELHAVSEN *de febribus malignis contagioſis.* Et videtur

haec

haec ſententia conuenire cum illa narratione EMANVELIS TIMONE, quod Byzantii, *inſtar miraculi*, *habeatur*, *ſi quis lue peſtis ſecundum corripiatur*. *Philoſophical. Transactions Num*. 364. Sic et verae variolae rariſſime redeunt iis, qui eas ſemel ſunt paſſi.

Corollarium 3. Miasma peſtilens non videtur adficere poſſe maſſam humorum hominis, lue venerea laborantis, in qua ſerum ſanguinis eſt coagulatum. Ita intelligo PETRVM FORESTVM cum ceteris, qui ſyphiliticos a peſte liberos ſcripſerunt. Namque miasma peſtilens in ſyſtemate ſeroſo nihil efficiet, in quo venereum iam effecit idem.

EXPERIENTIA 2. *Obſeruatur alia luis venereae ſpecies, in qua humorum putredo adeſt*.

Corollarium 4. Si quis eo gradu luis venereae infectus ſit, vt humorum putredo iam adſit, poterit ille, tempore peſtis, hac facile inquinari. Obtinet enim tum eadem conditio, quae in *Conſectario* 33.

Corollarium 5. Ex hisce corollariis 3. et 4. clara eſt ſententia EMANVELIS TIMONE, *quod Byzantii homines*, *lue venerea laborantes*, *indifferentes ſint ad luem peſtis*.

PROPOSITIO IV.

Quicumque nouit, miasma luis venereae immutare aut expellere; et effectum per ipſum ſufferre, id eſt, coagulationem ſeri ſanguinis: is omni indicationi ſatisfecit, pro felici curatione morbi totius.

PROPOSITIO V.

Quicumque nouit, miasma peſtis, bubones effectu-rum, immutare vel expellere: et effectum per ipſum ſufferre, id eſt, coagulationem ſeri ſanguinis: is omni indicationi ſatisfecit, pro felici curatione morbi peſtilentis, in bubones deſituri. Et qui nouit, peſtilentem morbum ſic dirigere, vt fiat bubonaceus, is, obſeruatis prioribus, pluribus peſtis ſpeciebus perſanandis ſufficiet.

EXPERIENTIA 3. *Lues venerea certo curari poteſt, per determinatam quantitatem mercurii dulcis, quae aegro, exiguis doſibus, deglutienda eſt ita, vt ſaliuatio non fiat.* Ipſe IOANNES ASTRVC hanc veritatem eſt confeſſus, quamquam acerrimus defenſor ſaliuationis, pro certa curatione illius morbi.

Corollarium 6. Adeoque hac methodo miasma venereum immutatur vel expellitur, atque coagulatio ſeri ſanguinis tollitur (*Propoſ.* IV.). Remaneat enim aliquid de alterutro; nec aderit ſanatio perfecta, quam obtinemus, vi illius experientiae. Aſt quo pacto vtrumque fiat, ex natura luis, et qualitatibus mechanicis hydrargyri, oſtendit idem ille I. ASTRVC *Cap.* VIII. *Lib. II. de morbis venereis.*

Corollarium 7. Qui recte comparat experientias 1, et 3. cum obſeruatione HELIDAEI: is facilis putabit, LAZARI RIVERII arcanum in febribus intermittentibus, praeſertim quartanis, maxumam partem conſtitiſſe mercurio dulci. *Journal des Savans l'an.* 1678. Et fidem adhibebit, idem medicamentum, in iisdem febribus com-

commendanti BERNARDO RAMAZZINI. Quin immo hic non eſt veritus, hydrargyrum vocare antidoton febris. *De morbis artificum Cap. II.*

EXPERIENTIA 4. Illuſtrium Medicinae Practicorum. *Obſeruantur febres, magis vel minus, ſed vere malignae, in quibus, poſt aliquem ipſarum decurſum, ſerum ſanguinis atque ſaliua ſunt manifeſte viſcida. Atque lethales fiunt, viſciditate illa permanente. Vbi autem pituitae copioſae, nonnumquam per menſem continuata excretio per fontes ſaliuae, atque muci faucium orisque contingit: illa eſt ſaluberrima.*

Corollarium 8. Stimulus, qui febribus magis vel minus malignis ineſt, ſerum ſanguinis coagulat; loca ſaliuae amat: et per ea excerni geſtit (*Confect.* 26.); vti peſtis bubonaceae ſtimulus per glandulas axillarum et inguinum ſeroſas (*Prop.* II.).

Corollarium 9. Ex *corollario* 6. poteſt ſtatui de vſu mercurii dulcis, conciſa doſi exhibendi, in eo ſtatu malignarum febrium, quem determinauit haec *experientia* 4. Certe ROSINVS, LENTILIVS atque CRAMERVS feliciſſimos ſucceſſus mercurii dulcis in eodem febrium malignarum ſtatu pluries praedicarunt: quin et alter eidem medicamini vim alexipharmacam ſapienter adſcripſit. *In parte I. Miſcellaneorum Medico-Practicorum* LENTILII. *Mercurialia, ſine ſtimulo ſalino praeparata, in pleuriticis, peripneumonicis et rheumaticis, poſt debitam ſanguinis miſſionem, plurimum prodeſſe nouit IOANNES HVXHAM. In obſeruationibus de aere et morbis epidemicis.*

PRO-

PROPOSITIO VI.

Mercurius dulcis, concifa dofi datus, videtur aptus effe immutando vel expellendo miasmati, peftem bubonaceam effe-cturo. Etenim vt et in mercurio dulci variolarum antidoton quaeratur, incitat aliquis eius aliquando fucceffus; auctore HERMANNO BOERHAAVE *de cognofcendis et curandis morbis; aphorismo* 1392. Eodem, cum aloe lota remixto, fine praeferuandi a variolis, feliciffime vfus eft IOANNES CAROLVS SPIESSIVS. In febre variolarum fecundaria, multi purgationi blandae haud infeliciter mercurium dulcem, quafi *variolis fpecificum*, furrogant. PAVL. GOTTLIEB WERLHOF *de variolis et anthracibus Cap. III. nota* 108. Immo, in Germania, Medici multi, in ipfa variolarum curatione, mercurium dulcem faepe, et ex voto, adhibent. Prout *acta Medicorum Berolinenfium* paffim referunt. Adeoque mercurius dulcis tunc vel immutauit, vel expulit variolofum ftimulum. Vlterius: mercurius dulcis, in febribus malignis, concifa dofi datus, ftimulum ipfarum vel immutat, vel expellit: vti colligere fas eft ex *Confect.* 26. et *Corollar.* 8. et 9. Idem ille mercurius dulcis, concifi dofi datus, miasma venereum vel immutat, vel expellit (*Corollar.* 6.) quod eadem loca amat, per eadem faluberrime excernitur; eumdem effectum, praeftat, feri fauguinis coagulationem; plane, vti miasma peftilens, nifi quod hoc fua perficiat velociffime: illud autem valde tarde efficiat eadem (*Pr.* I. II III. IV. V.). Itaque mercurius dulcis, concifa dofi datus, fere omne notum miasma contagiofum, variolofum, venereum ac febrium malignarum, immutat vel expellit: atque manifefte in morbo, qui a bubona-

cea

cea pefte, folo celeritatis gradu, differt (*Propof.* III.). Ob hasce, inquam, cauffas, mercurius dulcis, concifa dofi datus, mihi quidem videtur aptus miasmati peftilenti expellendo vel immutando.

PROPOSITIO VII.

Mercurius dulcis, concifa dofi datus, videtur omni indicationi fufficere, pro felici perfanatione peftis, in bubones finiturae. Quin et pluribus peftis fpeciebus fanandis par erit idem, fi fuerit in arte, morbum peftilentem ita dirigere, vt in bubones finiat. Etenim in antecedente propofitione adnifus fum, valde probabilem conftituere potentiam actiuam mercurii dulcis aduerfus miasma peftis, in bubones abiturae. Enimuero coagulationem feri fanguinis per idem medicamentum folui poffe, vix vnus dubitat (*Corollar.* 6. 7. 9.). Et pluribus nos non indigere pro felici fanatione peftis fimilis, vt et cetera intelliguntur ex *Propof.* V.

Scholion 1. Haec omnia quidem fatis recte fe habent. Sed aient (1) Quis audeat, vomiturientibus, deiicientibus, atque anxiis in pefte, exhibere mercurium dulcem, bonum in fe, fed et valde nociuum faepenumero, dum vel faniori corpori nunc vomitus, nunc tormina, nunc alui fluxus toties prouocat? (2) Annon grauis mercurius dulcis febrem acutiffimam peftilentem augebit in exitium vsque? Adtamen hi ipfi vulgaria alexipharmaca, antipeftilentialia, theriacas, fpiritus volatiles etc., calefacientia omnia, bono animo, commendant. Nec intelligere videntur, cur B. RAMAZZINI hydrargyrum adpellauerit febrium antidoton (*Coroll.* 7.)? Neque; cur CRAME-

RVS facultatem alexipharmacam in mercurio dulci ftatuerit (*Coroll.* 9.)? (3) Praecipitantiffime concludi arguent, a facultate mercurii dulcis in morbis tardiffimis; qualis eft lues venerea: vel faltim aliquanto tardioribus; quales funt febres malignae: ad facultatem efficacem eiusdem medicamenti in morbo, celerrimo omnium; qualis eft peftis. Quantulum folatium fperare fas eft a puluisculo, in morbo breuiffimo? Verum enim vero his omnibus refpondeo: Dari, in rerum natura, corpus, quod (1) mercurium dulcem nocituris qualitatibus exuit: (2) vna poffidet qualitates phyficas alexipharmacas: et denique (3) mercurio dulci remixtum, cauffam omnem, effectaque febris peftilentis, velociter peffumdat. Conabor, per fequentia, euincere, *camphoram* praecife effe tale corpus.

EXPERIENTIA 5. *Res eft hodie in controuerfa, quam poft* LAZARVM RIVERIVM *atque* FRIDERICVM HOFFMANNVM, *complures Medici adferuerunt, ipfeque ego faepiffime fum expertus, in febribus inflammatoriis, atque malignis, cum falute aegrorum, praefcribi camphoram, prout decet. Idem ille* HOFFMANNVS, *Medicus incomparabilis, camphorae vfum in ipfa pefte commendat in Medicinae rationalis fyftematicae* T. IV. P. I. S. 1. Cap. XII., *quo loco vna memorat electuarium, quod in pefte Vindobonenfi vtiliffimum fuit, in quo non exiguus locus conceffus camphorae.*

EMANVEL TIMONE fic fcripfit: *Oleum naphthae, quod camphorae noftrae compar, ad drachmas ij., eft Turcis magnatibus remedium fummum in pefte.*

Dixi

Dixi in *Obſeruatione* 26., *in peſte laudata fuiſſe amuleta, quibus admixta fuerat camphora.*

EXPERIENTIA 6. *Et propter illam communionem luis peſtilentis cum lue venerea* (*Propoſ. III.*), *non abſurdum eſt, adnotaſſe, quod in gonorrhoea, praecipue vetere, camphoram vsque laudarint* HENRICVS SCRETA, R. LENTILIVS, *atque ille idem* HOFFMANNVS. *Immo hic vltimus, in Diſſertatione de vſu camphorae, eſt auctor, in initio luis venereae praeſtare, exhiberi camphoram cum mercurio fixato, propriae inuentionis: et retuliſſe Medicum, fide dignisſimum, contra luem ſaepius ſuffeciſſe camphoram ſolam, in axungia viperarum ſolutam.*

Corollarium 10. Camphora habet virtutem adtenuandi; ſoluendi pituitam veneream: vt et lentorem febrilem, immo ipſum peſtilentem. IOANNES FREIND *the hiſtory of Phyſick: Camphora omnium adtenuantium forte eſt validiſſimum.* Adeoque camphorae inſunt qualitates phyſicae, peſti aduerſae, ſiue, alexipharmacae.

EXPERIENTIA 7. *Camphora, miſta cantharidibus, calomeli, mercurio dulci, turpetho minerali; omnibus illis corporibus, volatilitate ſua, vias parat, per minutiſſima corporis humani vaſa ſe facilius penetrandi: iisdemque omnes nociuas qualitates demit, ita quidem, vt cantharides veſicae vrinariae infeſtae amplius non ſint: et ex hydrargyro confecta, primas vias non, vel vix, turbent: ſed in ſyſtemate ſeroſo et machinis ſecernentibus coagulata obuia fundant, neque agant, niſi quatenus quater decies ſpecifice grauiora ſanguine,*

aucta vi cordis et arteriarum primi ordinis, maiori momento in obstruentia lata, vasa obstructa deobstruant: calomeli insuper ac mercurius dulcis glandulis saliuae nihil incommodi intentent. IOANNES QVINCY. *Philosophical Transactions* Nr. 365. Et I. HVXHAM *de morbo colico Damnoniorum.*

Quum homini cuidam, omni die quarto, vesperi, gr. 10. mercurii dulcis aliquoties dedissem: ille inde, post adsumtum, aliquoties nauseauit, tandem tribus vicibus vomuit, et altero die mane aliquoties solutus est aluo. Post haec iidem corpori eamdem quantitatem mercurii dulcis, admistis a n.e gr. 5. camphorae, ipse exhibui, aliquoties. Nec nausea; nec vomitus; nec deiectio; nec calor praeternaturalis ortus: et verbo; in toto corpore pacatissima visa sunt omnia.

EDVARDVS BARRY et MOORE, *in morbis rebellibus, et, vbi saliuatio alias requiritur, dederunt, quauis vespera, per hebdomadas tres, sequens medicamentum, adspectu formidolosum, potens alterans, sed blandum; solius admistu camphorae.* Rec. *Pilul. de duobus gr. 15. Turpeth. mineral. Camphorae ana gr. 10. M. Primis diebus, aliqui sequentur vomitus, et aluus aliquoties soluetur. Sed succedentibus, omnia quietissima futura. Medicical Essays by a Society in Edinburgh. Vol. IV. art. 4.* Est mercurius praecipitatus griseus BATEI, addito purgante.

Petropoli hoc experimentum, eodem euentu, repetiit Dignissimus Aulae Imperialis Medicus, Vir Optumus, ANTONIVS RIBEIRO SANCHES, *nisi, quod malum venereum inde plane sublatum non fuerit.*

An

An camphora praeparata mercurialia nimis corrigit, vt enecuentur ipſa? An potius adhuc ignoratur vera quantitas adiiciundae camphorae ad datum quantum praeparati mercurialis dati? Ea decidet vlterior experientia.

Scholion 2. Quia mercurius dulcis, cum camphora mixtus, ſaliuationem non excitat: ſaliuatio tantum adcidentalis eſt hydrargyro. Id quod aliunde deduxit IOANNES GEORGIVS HENRICVS KRAMER in *Commercio litterar. Medico Norico* Ao. 1734. *hebd.* 42.

PROPOSITIO VIII.

Si in qua febre, valde maligna, acuta, immo acutiſſima, ſerum ſanguinis eſt coagulatum; et, conciſa doſi, repetitis vicibus, exhibetur medicamentum, ſanguine ſpecifice grauius, in minima diuiſibile, ſyſtema ſanguineum citiſſime percurrens, per minutiſſima corporis humani vaſa facillime ſe penetrans, humoribus corporis humani non miſcibile, inque ceteros, praeter ſanguinem, non agens, niſi quatenus vi cordis et arteriarum ſanguinearum maiori momento fertur, quam ſanguis: dico; quamdiu illud medicamentum ſanguini commixtum fluit, calorem corporis humani aliquanto auctum iri, ſed, quam primum in ſyſtema ſeroſum peruenit, et coagulationem ſeri ſanguinis, febris illius auctae cauſſam non poſtremam, tollit, augmentum caloris, et a coagulato ſero, et ab ipſo medicamento effectum, ſenſim in decremento fore, immo ipſam febrem acutiſſimam tandem deſituram totam, ſi medicamentum ſimul polluerit facultate, deſcri-

pta actione, ſtimulum, auctorem et febris, et coagulatorum, immutandi vel expellendi.

PROPOSITIO IX.

Mercurius dulcis, cum camphora mixtus, conciſa doſi, repetitis vicibus, exhibitus, eſt medicamentum, quod habet dotes, in antecedente propoſitione requiſitas. Etenim mercurius dulcis, cum camphora mixtus, et ſic exhibitus, agit, ſine moleſtia, atque ſolo momento, quo, actus vi cordis et arteriarum primi ordinis momentum ſanguinis ſuperat: itaque ſyſtema ſanguinis celerrime pertranſit: inque minutiſſima corporis humani vaſa ſe penetrat (*Experientia* 7.). Atque, potentiſſime adtenuando ſerum ſanguinis coagulatum (*Corollar.* 6. 9. 10. *et Exper.* 5. 6.), febrem, quantamcumque, non auget, ſed minuit, vel tollit.

DEFINITIO. *Medicamentum alexipharmacum* voco *mechanicum*, quando habet qualitates mechanicas; *phyſicum*, quod habet phyſicas; et tandem *phyſico-mechanicum*, quod habet mixtas.

PROPOSITIO X.

THOMAS SYDENHAM *de peſte Londinenſi*: *Mihi*, inquit, *veri ſimile eſt, peculiare peſtis remedium, propriumque ipſius perniciei alexiterium, adhuc in naturae ſinu abditum deliteſcere, nec eamdem, niſi, ratione quadam mechanica, tolli poſſe.* Mercurius dulcis, cum camphora mixtus, et, conciſa doſi, repetitis vicibus, exhibitus, annon eſt medicamentum, alexipharmacum, phyſico-mechanicum, in peſte, in bubones finitura? Sic omnino ſta-

tuo.

tuo. Etenim mercurius dulcis, concifa dofi datus, videtur omni indicationi fufficere, pro felici perfanatione peftis, in bubones finiturae (*Propof. VII.*). Itaque recte haberi poteft pro medicamento alexipharmaco in illa pefte: fed longe magis, fi cum camphora combinetur (*Corollar.* 10.). Enimuero haec omnia confequuntur ex qualitatibus mechanicis hydrargyri (*Corollar.* 6.), et phyficis camphorae (*Corollar.* 10.). Adeoque commendatum medicamentum videtur effe alexipharmacum, phyfico-mechanicum, in pefte, in bubones finitura; quale animo praefagiuit T. SYDENHAM. Quae vero in *Scholio* 1. contra vfum huius medicaminis in febre acutiffima vrgeri poterant: ac remoui in *Propof. VIII.* et *IX.* Immo vero; de vfu mercurii dulcis in febribus malignis, adduxi experientias in *Corollar.* 9. et *Propof. VI.*; et de vfu camphorae in fimilibus febribus, ipfaque pefte; in *Experientia* 5.

Corollarium 11. Facile patet, dari non poffe aptius praeferuans, tempore peftis, quam, fi quis, omni vefpera, mercurii dulcis gr. j., cum camphorae tantundem, deglutiuerit. Confilia TVA SAPIENTISSIME ARCHIATRE, vfum huius medicaminis, ad praeferuandum, extenderunt.

Corollarium 12. Si obtinet cafus, in *Corollar.* 9. defcriptus, mercurius dulcis, cum camphora mixtus, infinities praeftabit illo LENTILIANO, ex mercurio dulci et lapide bezoar.

PROPO-

PROPOSITIO XI.

Peſtis carbunculoſa differt a variolis peſſimis, mias-mate ſingulari. Vtriusque morbi cônuenientia in his po-ſita: 1.) Carbo ſaepe naſcitur ex pluribus variolis, confluen-tibus in vnum: 2.) Variolae peſſimae ſunt id in tota corporis ſuperficie; quod in parte eſt carbo: 3.) Eadem phaenomena ſunt in carbone, quae in peſſimis variolis, tempore ſuppurationis illarum, obtinent. Vide *obſerua-tionem* 14. et *conſectarium* 17.

Scholion 3. An inde ſit credibile, veteres mor-borum obſeruatores, geneſi anthracum adtentos, variolas adpellitaſſe paruos carbones, ſiue carbunculos? Ego fa-cillime crediderim, hoc ex antiquitatum monumentis do-ctiſſime eruenti ac vindicanti Elegantiſſimo meo IOANNI GOTHOFREDO HAHN.

PROPOSITIO XII.

Peſtis carbunculoſa eſt peſte bubonacea peior. Eſt ſententia omnibus probata Auctoribus. Et natura carbo-num eſt alia, quam bubonum; licet ambo iidem cor-pori, eodem tempore, eueniant, ab eodem producti miasmate (*Obſeruat.* 12. 14. et *Conſect.* 17.).

PROPOSITIO XIII.

Cortex Peruuianus annon eſt medicamentum alexi-pharmacum phyſicum in peſte carbunculoſa? Eſt fere ſen-tentia IOANNIS ARBVTHNOT, *eſſay concerning the effects of air on humane bodies.* Vbi et adſerit, in peſte Maſſilienſi, Chirurgum aliquem ſe ſanum praeſtitiſſe, per

ipſum

ipſum corticem. Notiſſimum eſt; per corticem Peruuianum aufferri poſſe febres, intermittentes ac remittentes omnes. Porro: temperat vitia bilis: vti patet in cura auriginis. Tandem, gangraenam auffert; et ſphacelum ſiſtit: prout Angli ſufficienter probarunt. Iam, vigente Peſte, adeſt febris (*Obſeruat.* 10.). Miasma peſtis bili veſicariae ſe ſociat, hancque adficit (*Obſeruat.* 16. et *Conſectar.* 27. 28.). In peſte carbunculoſa, integumenta communia, in loco carbunculi, ſunt mortua (*Obſeruat.* 14.) Adeoque cortici Peruuiano facultas alexipharmaca haud tantum competit in peſte carbunculoſa, ſed et rationem ſui habet in aliis quibusdam phaenomenis, id eſt, in qualitatibus phyſicis corticis. Ipſe cortex igitur, in illa peſte, omnino videtur eſſe medicamentum alexipharmacum, phyſicum.

Scholion 3. Inde fluit, me iudice, eximius vſus corticis Peruuiani in gangraena externa varioloſa. Quamquam haud difficulter adſentiar RICHARDO FREVVIN, perſcribenti ad IOANNEM FREIND, corticem imparem fuiſſe impediundae febri ſecundariae variolarum.

Corollarium 13. An cortex Peruuianus etiam eſt medicamentum alexipharmacum phyſicum in peſte bubonacea; ſicque fere vniuerſale; vti cenſere videtur idem I. ARBVTHNOT? Profecto; multum facit ad hoc cedendum mirabilis illa *obſeruatio* 24. Lege *Conſect.* 32.

PROPOSITIO XIV.

Vapores acidi; potus aciduli; praecipue acetum vini, ſunt medicamenta alexipharmaca, phyſica, praeſeruantia

in omni peste. Haec enim miasma pestis alcalinum iners reddunt (*Confect.* 10.).

PROPOSITIO XV.

Motus pestilens, a miasmate in pulmones inspirato productus, transit mox in pulmonum gangraenam, nulla arte sanabilem (*Obseruat.* 6. et *Confect.* 2.).

Corollarium 14. Adeoque, nisi receptum modo pulmonibus miasma pestilens vaporibus acidis forte immutari queat: morbus, inde sequuturus, est absolute lethalis.

PROPOSITIO XVI.

Tollere morbum pestilentem, resoluendo; vel, si id fieri non potest, critice euacuando per glandulas serosas, praecipue inguinum.

I. Quam primum tempore pestis, ventriculus male adficitur, cum phaenomenis, descriptis in *obseruatione* 10., detur, extemplo vomitorium ex ypecacuanha cum nitro, vel et ex vitriolo albo (*Obseru.* 28.).

II. Quauis hora tertia, exhibeatur sequens medicamen: Rec. Stibii diaphoretici nitrati gr. 15. Mercurii dulcis gr. 1 scr. Camphorae gr. ij. M. Superbibantur seri lactis recentis, vel decocti hordei tepidi vnciae 4. (*Propos.* 10.). Vel et detur, eodem temporis interuallo, apta dosis mercurii alkalizati, cum pauxillo camphorae.

III. Inguinibus adplicetur emplastrum de meliloto, addita camphora.

IV. Ten-

IV. Tenſis inguinibus, vel, bubonibus profunde tumentibus (*Conſect.* 21.—23.), admoueatur emplaſtrum veſicans, vel ſolum, vel emplaſtrum de meliloto commixtum (*Obſeru.* 29.).

V. Victus ſit acutorum (*Obſeruat.* 28.

Sholion 5. Niſi camphora, tempore ipſius vſus, miſceatur mercurio dulci; illa, volatiliſſima, hunc natiuae ſuae libidini relinquet. Debetur haec cautio iidem I. QVINCY.

Scholion 6. Diu meditatus illam facultatem alexipharmacam mercurii dulcis in peſte, ſed tunc adhuc neſcius ſingularis illius virtutis in camphora (*Exper.* 7.), commendaui olim Chirurgo vſum illius, in caſu ſimili, hunc fere in modum exhibendum, cum roob Sambuci et Stibio diaphoretico. Retulit diu poſt Chirurgus, perniciem adtuliſſe ipſum medicamentum. Etenim imprudens aegris nauſeantibus ac vomiturientibus (*Obſeru.* 10.), vomitorio non praemiſſo (*Obſeru.* 28.), obtulit electuarium, a quo, et vomitus, et praecordiorum anxietas augebantur (*Scholion* 1.). Quo euentu perterritus, obſeruationum filum, circa hoc medicamentum, abrupit. Idcirco illud experimentum theoriae expoſitae non eſt aduerſum.

PROPOSITIO XVII.

Si locus cutaneus rubeat, tumeat, caleat, ardeat, doleat; vel maculis fiat turpis: fas ſit, ſperare carbonem (*Obſeruat.* 14.). Iuuabit ergo, adtrahentia loco adfecto adplicuiſſe.

II. Interne detur, omni hora quarta, corticis Peruuiani electi drachma dimidia, cum aqua alexiteria lactis, vel alia diapnoica (*Propos.* 13.).

PROPOSITIO XVIII.

Persanare anthracem.

I. Agatur in suppurationem, profunda scarificatione circumcirca in viuis facta, quo excidant mortua (*Obseru.* 14. 29.).

II. Interne detur idem cortex, modo, quem praecedens propositio declarauit.

Scholion 7. Cetera, pro tractandis bubonibus ac carbunculis, facile sciuntur ex Chirurgicis; vel et ex *obseruatione* 29.

Nunc

NVnc me ipſum reprehendo, *Vir Excellentisſime*, quod tam multa forte parum commode ad *Te* ſcripſerim. Dic tamen, obſecro *Te*, quae putaueris corrigenda. Promtus cedam auctoritati *Tuae*, quam ratione fulcire ſemper es ſolitus. Et ita magis credam, cetera *Tibi* placuiſſe, ſi quaedam displicuiſſe cognouero. Interim confido, ſtudium meum *Tibi* probatum iri, et ſi peſti tumulum non ſtruxerim. Finiat ſcriptionem pium votum, cui Deus adſit, et cuius ego compos fiam, vt mortalitas *Tua*, *Exoptatisſime Archiatre*, poſt ſeros denique annos, finiatur. Vale! D. Moſcuae. Menſe Iunio Anno 1740.

Errata.

Pag. 7. Obſ. 2. pro inquinum lege inguinum.
p. 10. Obſ. 9. p Plures l. Pluries.
Obſ. 10. p. Horripulatio l. Horripilatio.
p. Nauſia l. Nauſea
p. foeditorum l. foetidorum.
p. 12. Conſ. 14. pro Aliae l. Alia.
p. 13. Obſ. 13. p. abſeſſibus l. abſceſſibus.
p. 14. in prima lin. p. hypogaſirium l. hypogaſtrium.
p. 16. Conſ. 21. p. infantae l. infarctae.
p. 24. Obſeruat 29. p. ſcarifaſſe l. ſcarificaſſe.
p. 28. Coroll. 1. p. enſpiſſatum l. inſpiſſatum.
p. 32. lin. 22. p. concifi l. conciſa.